



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

Luxemburgi, MDCCXLII.

XI. Quod Officium Sancti Ignatii Societatis Jesu Fundatoris sub ritu duplici
in posterum recitetur ab omnibus, qui ad Horas Canonicas tenentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

que Ludovicum specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequentiarum serie absolventes, & absolutum fore censentes, Supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati omnia, & singula privilegia, concessionem, facultates, indulta, indulgentias, ceterasque gratias spirituales, & temporales eisdem locis, & illa visitantibus, necnon dicti Ordinis Guardiano, & Fratribus in dictis partibus degen. per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Sedem Apostolicam in genere, vel in specie, aut alias quomodolibet concessa, quatenus sint in usus & non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa existant, sacrisque Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, ac Concilii Tridentini decretis non adversentur Apostolica auctoritate tenore presentium confirmamus, & approbamus, ac perpetuè inviolabilis Apostolicæ firmitatis robore communimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus si qui defuper in eis quomodolibet intervenerint supplemus.

§. 3. Necnon insuper omnibus, & singulis eorumdem Fratrum interpretibus nunc Hierosolymis, Bethleem, & Nazareth existentibus, & viventibus in cujuslibet eorum mortis articulo si verè poenitent. & confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint saltem contriti, nomen JESU ore, si potuerint, sin minus corde devotè invocaverint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris, die 30. Septem. 1667. Pontificatus nostri Anno primo.

Indulgentia
in mortis
artic. concedit.

Contrariis
derogat.

Dat. Rom. r.
die 30. Sept.

XI.

Quod Officium Sancti Ignatii Societatis JESU Fundatoris sub ritu duplici in posterum recitetur ab omnibus, qui ad Horas Canonicas tenentur.

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Credite Nobis divinitus dispensationis ratio postulat, ut Sanctorum in Coelis regnantium, quorum egregia constant in Ecclesiam Catholicam merita, cultum, & venerationem in terris condignis honorum incrementis ampliare studeamus.

§. 1. Itaque cultum, & venerationem S. Ignatii Societatis JESU Fundatoris de Universali Ecclesia adeò benemeriti, ubique terrarum augere volentes, auctoritate Apostolica tenore presentium mandamus, ut ejus festum, quod sub ritu semiduplici ad hunc usque diem celebratum est, perpetuis futuris temporibus sub ritu duplici celebretur, Præcipientes propterea ut omnes tam sæculares, quam Regulares utriusque sexus, qui ad horas Canonicas tenentur, eas in posterum de memorato S. Ignatio sub prædicto ritu duplici recitent. Ac ipsius S. Ignatii festum sic sub ritu duplici celebrandum in Romano Breviario apponi debere decernimus.

§. 2. Non obstant. Constitutionibus, & Ordination. Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut earundem presentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii d.

Exordium.

Concedit
prout in rub.

Contrariis
derogat.

Transumptorum fides.

Societatis subscriptis, & sigillo Præpositi Generalis ejusdem Societatis, vel alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem profusus fides adhibeatur, quæ presentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris, die 11. Octobris 1667. Pontificatus Nostri Anno primo.

Dat. P. An. 1.
die 11. Octob

Confirmatio literarum Generalis Ordinis Prædicatorum pro Religiosis Provinciæ Hiberniæ, & aliarum ejusdem Ordinis sublevandis, novisque nationalibus Collegiis, & Domibus in Hispania, & alibi erigendis.

XII.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper emanarunt à Nobis ad favorem dilectorum filiorum Fratrum Provinciæ Hiberniæ Ordinis prædicatorum literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur videlicet.

§. 1. Clemens Papa IX. Ad futuram rei memoriam Creditæ Nobis cælitus dispensationis ratio exigit, ut paternam virorum religiosorum, eorum præsertim, qui Evangelicæ prædicationi addicti labores, & pericula pro fide Catholica alacriter subeunt curam gerentes illa, quæ pro eis sublevandis, piisque, & laudabilibus eorum studiis fovendis, & promovendis ab eorum Superioribus Regularibus, piè, prudenterque facta, & constituta esse noscuntur, ut firma, atque ilibata persistant Apostolici muniminis patrocinio libenter roboremus.

Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Magister Generalis Ordinis Prædicatorum quod ipse pro manutatione instituti Evangelicæ prædicationis, cui dictus Ordo enixè incumbit, ac pro sublevandis Religiosis Provinciæ Hiberniæ & aliarum ejusdem Ordinis, qui laboribus, carceribus, minis, & opprobriis pro Catholica Fide vexantur literas patentes expedivit tenoris, qui sequitur, videlicet. Frater Joannes Baptista de Marinis Sacræ Theologiæ Professor Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis, & Servus in Dei filio sibi dilecto R. P. Fr. Joanni Cnojur à Sancto Dominico ejusdem Ordinis, & Provinciæ nostræ Hiberniæ Procuratori Generali salutem.

Hibernia re, & nomine quondam floridissima SS. insula. Sed postremo hoc nostro sæculo avitæ Religionis tristi passim exilio miserrimè deformata tanto sollicitorem meretur omnium Christi fidelium ubique commiserationem, quanto periculosius hodie sub novo quodam persecutionis genere ibidem orthodoxa fides laceratur, neque hic nobis eundem per singula, dum in paradigma sufficiunt nostrorum illic fratrum, quas exposuisti calamitates, & elades, nimirum ipso eorum Provinciali ob fidem recluso in sequestrum, aliisque alibi in vincula conjectis missionariis dispersis, communitatibus dissipatis, &c. quibus nisi aliundè per novorum identidem operariorum quotidiana supplementa provide succurratur brevi de Provincia actum erit.

Porrò, ut prudenter suggestisti iis succurri non poterit, nisi extra insulam in aliis Catholicorum Principum Regnis ac ditionibus multiplicantur nationalia Religiosorum istorum domicilia, & literarum Collegia, in quibus tum exules nostri missionarii ob fidem scripti asylum invenient tum vernacula Hibernorum juventus studiis controversiarum, & sacrarum linguarum jugiter ad Apostolicam missionem erudiatur. Hoc igitur extremum istius desolationis remedium, ut suo tandem potatur usu, & effectu, in quem una tecum undique plurium magnatum vota instantiæ promissa, munificè, pietissimeque conspirant, ampliusque in aliis pariter Regionibus conspiratura putantur.

Edita An. D.
1667.

Causa Indulti.